

27

1745 8#

AUGVSTINVS A LEYSER
IN AVLA REGIA CONSILIARIVS
ET COLLEGIORVM
QVAE VITEBERGAE IVS DICVNT AC RESPONDENT
PRAESES ORDINARIVS

LECTORIBVS
SALVTEM

AGASTINUS A LYSER
IN AVA REGIA CONSILARIAS
ET COLLEGIORVM
PRESSES ORDINARIAS
LEGATORIAS
SALUTEM

QVAE ALITERGAE IAE DICANT AC RESPONDENT



Inter alia academie Vitebergensis decora,
quibus illa forores suas, ceteras scilicet
academias, superat, hoc etiam est, quod
ius publicum Germaniae, scholis & aca-
demii olim incognitum, Vitebergæ pri-
mum doceri cepit. Primus scilicet
Henningus Goden, collegii ICtorum apud Vitebergen-
ses præses ordinarius, postquam electioni & coronatio-
ni Caroli V, in comitatu Friderici sapientis, septemuiri
Saxonis, interfuisset, in academiam suam redux, inaudi-
to exemplo ius publicum interpretari constituit, atque
consilium id suum ad Georgium Spalatinum, aula Saxon-
icæ tunc oraculum, hunc in modum perscripsit: *Sum
lecturus Wittembergæ scholaribus meis practicam &
modum eligendi Romanorum Regem, quemadmodum
uidi & legi, ex libro Pontificali Reuerendissimi domini
Archiepiscopi Hermanni Coloniensis, Landgrauii Haf-
siae, qui illustrissimum Regem Romanorum unxit Aquis-
grani. Et ibi forsitan latius materiam tangam, ut scho-
lares*

*lares Wittenbergenses aliqua audiant de cursibus mun-
di, uale. Nec fecellit fidem, sed interpretatus est scho-
laribus suis ius publicum. Conseruauit nobis interpre-
tationes eius Melchior Klingius, atque inter Consilia
Henningi Goden ab ipso edita in Prima parte colloca-
uit. Evidem non nego, quamplurima esse in istis
primis de iure publico cogitationibus, quae nostræ aerati
non conueniunt. Excerpsit ex iis quædam dicta admo-
dum insulsa Ludewigius in der Vorrede zum zwey-
ten Theile der vollständigen Erläuterung der
Güldnen Bulle §. 32 pag. 21, quibus ego unum addo.
Ostensurus scilicet Godenius, imperium non esse apud ali-
am nationem, sed solum apud nationem Germanicam, alias
uero nationes non habere imperium proprie, sed duntaxat
improprie, sicut dicimus, quod quilibet sit rex in domo sua;
thesin hanc suam historiola prorsus mirifica confirmat: Ri-
chardus, inquietus, rex Anglicorum, cum esset in uenatione
cum familia sua, & Proceribus suis, inseguendo Ceruum
separatus est a familia sua. Et uenit in syluam am-
plam, ita quod ignoraret ubi esset, & timeret, quod illa
nocte uoraretur a bestiis. Tandem uidit ignem in qua-
dam casa seu domuncula cuiusdam Fabri. Appropria-
ans ergo ad ostensionem ignis, uenit ad casam Fabri,
pulsans, & petens se intromitti, ac per noctem hospita-
ri. Fuit quidem intromissus & hospitium sibi datum.
Faber autem considerans faciem Regis, quod esset for-
nosa, ignorans tamen eum esse Regem, attulit aquam, ut
manus lauaret. Rex uero uolens more aulico prefer-
re hospitem seu Fabrum, primo manus lauare noluit.
Quare faber iratus sibi alapam dedit, & ei imperauit di-
cendo. Nescis tu, quod quilibet est Rex in domo sua?
Et tandem alapa sumpta, lorisque manibus manebat
cum fabro, & fuit tractatus mediocriter. De mane
autem*

autem demissus & ad rectam viam deductus, castrum suum repetit, Fabro incerto, de recepto hospite relatio. Post paucos dies, Rex uolens referre fabro alapam, quam suscepit, uocauit fabrum, ut secum pranderet, qui cum uenisset in uili pro more fabrili ueste indutus, & pelle fabrina cinctus, accepit Regina, optime ornata, fabram, quanquam praetimore crepitum magnum ficeret, non sine paruo aulicorum risu, suscepit & amplexa fuit more Regio. Tandem Rex Fabrum in suprema parte mensae, & supra Reginam locauit, querens, ut, si faber recusaret honorem sibi impensum, alapam illatam uindicaret. Faber uero iuxta fabrilia statuta, in omnibus & Regi & regiae paruit, & ita illæsus abit. Nemo profecto talia ratiocinia nostra ætate ferer. At Godenio, qui ista in seculo illo inficeto scripsit, uenia danda est. Tempori defuit, non ingenio uiri, quod Godenio defuit. Si hodie uiueret, ac ei contra Auberii commentarios des *Inutes pretentions du Roy sur l'Empire* pugnandum esset, aliis armis uteretur. Contigit idem ei, quod primis pictoribus, quorum ars, testibus Plinio natural. historig. lib. 35 cap. 5. & Aeliano uariarum historiarum lib. 10, cap. 10, per initia adeo rudis fuit, ut ex lineis uultus hominis aut animalis agnoscere non posset, nisi nomen adscriberetur, quod artis typographicae inuentoribus, quod porcellani Saxonici fabricatoribus, quorum rudimenta ridentur, & tamen in pretio sunt. Quidquid sit, ego Godenii quamuis longo duorum saeculorum interuallo, successor constitui iamdiu, etiam aliquid de cursibus mundi scribere, eiusque rei occasionem nuper nactus sum, dum ex scholaribus nostris quidam ad me ueniret, atque rogaret, ut de controversia recentissima, anno superiore bis inter Germanos mota, quo usque scilicet principi Germano liceat, lega-

tos alias principis , sibi de hostili animo suspecti , uel
aperte inimici , ad amicum principem per terras suas
transeuntes intercipere , commentarer . Annui primum ,
qua sum facilitate , sed deinde , difficultatibus & odiis ,
quibus ista commentatio me immergeret , reputatis , pce-
nituit me promissi . Metui in primis , ne idem mihi , um-
bratico homini , a viris in aularum luce uersantibus fie-
ret , quod Phormio ab Hannibale expertus est . Quam
enim Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antio-
chum uenisset exul , inuitatum eum esse ab hospitibus
suis accepimus , ut Phormionem Peripateticum Philosof-
phum , cuius nomen in magna erat apud omnes gloria ,
si uellet , audiret : quumque is se non nolle dixisset , lo-
catus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Im-
peratoris officio & de omni re militari . Tum , quum
ceteri , qui illum audierant , uehementer essent delectati ,
quærebant ab Hannibale : *quidnam ipse de illo philo-*
sopho iudicaret? hic Pcenus respondisse libere fertur :
multos se deliros senes sepe uidisse , sed qui magis , quam
Phormio deliraret , uidisse neminem. Neque iniuria , in-
quit apud Ciceronem , qui haec omnia sic refert lib . II . de
Oratore p . 115 , Catulus . Quid enim aut arrogantius
aut loquacius fieri potuit , quam Hannibali , qui tot an-
nos de Imperio cum populo Romano omnium gen-
tium uictore certasset , græcum hominem , qui nunquam
hostem , nunquam castra uidisset , nunquam denique
minimam partem ullius publici muneris attigisset , pœ-
cepta de re militari dare ? Ita bonus ille Phormio ,
quum gloriam ab Hannibale expectaret , ludibrium po-
tius & irrisione reportauit . Igitur uiam quæsiui , qua
me ab obligatione temere contracta sine existimationis
meæ detimento expedirem . Et commode in mentem
uenit exemplum Iacobi Thomasii , qui anno 1674 a
quo-

quodam *scholari* Lipsiensi rogatus, ut de iustitia belli,
Galliarum regi hoc anno a Germanis denunciati, scri-
beret, argumentum simile, sed priscum, substituit, ac no-
bilem illam *commentationem*, quæ adhuc exstat, de *Iu-*
stitia & iure primi belli Punici edidit. Faciam idem
ego, & quoniam secundum *Salomonem in Concione I,*
u. 9. nihil noui sub sole sit, aliquid de *cursibus mun-*
di antiqui scribam, binaque exempla, sere similia, at a
nostra etate longissime remota, memorabo, nec ex no-
stro iure publico de iis iudicabo, sed saltem, quid
exteri scriptores, nostrorum iurium ignari, de hac lite
senserint, referam. Primum exemplum ex *Liuui libro 23*
cap. 33 & 34 desumo: Philippus, Macedonum rex,
populi Romani amicus, aut certe non inimicus, legatos
in castra Hannibalis misit, fcedusque cum eo atque ami-
citiam iunxit legibus his: ut Philippus rex quam ma-
xima classe (ducentas autem naues videbatur effecturus)
in Italiam traiiceret, & uastaret maritimam oram: bel-
lum pro parte sua terra marique gereret. Vbi debellatum
esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthagi-
nensium atque Hannibalis esset, prædaque omnis Hanni-
bali cederet. Perdomita Italia nauigarent in Graciam,
bellumque, cum quibus regibus placeret, gererent, quæ
ciuitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam uer-
gunt, ea Philippi regnique eius essent. In has ferme
leges inter Pœnum ducem legatosque Macedonum istum
fcedus, missaque cum iis ad regis ipsius firmandam si-
dem legati, Gisgo, & Bastor, & Mago, ad Iunonis
Laciniae, ubi nauis occulta in statione erat, perueniunt:
inde profecti, quum iam altum tenerent, conspecti a
classe Romana sunt, quæ praefidio erat Calabriae littori-
bus. P. Valerius Flaccus cercuros ad persecundam
retrahendamque nauem quum misisset, primo fugere re-
gii

gii conati: deinde, ubi celeritate uinci senserunt, trahunt se Romanis: & ad præfectum classis adducti, quum quereret, qui, & unde, & quo tenderent cursum; Xenophanes primo, a Philippo se ad Romanos missum, ad M. Valerium, ad quem unum iter tutum fuerit, peruenisse, Campaniam superare nequissime, septam hostium præfidiis, deinde ut Punicus cultus, habitusque suspectos legatos fecit Hannibal, interrogatosque sermo prodidit; tum, comitibus eorum seductis, ac metu territis, literæ quoque ab Hannibale ad Philippum inuentæ, & paœta pacis inter regem Macedonum Pœnumque ducem. Quibus satis cognitis, optimum uisum est, captiuos comitesque eorum Romam ad senatum, aut ad consules, ubicumque essent, quam primum deportare. Ad id celerrimæ quinque naues delecta: ac L. Valerius Antias, qui præcesset, missus: eique mandatum, ut in omnes naues legatos separatim custodiendos diuideret: daretque operam, ne quod iis colloquium inter se, neue quæ communicatio confilii esset. Seruauit hæc Valerii Flacci solertia rempublicam Romanam, cui facile fuit, istud perniciosissimum sibi fœdus, postquam detegisset, eneruare. Nec Macedones nec Pœni Romanos unquam de violato iure gentium accusarunt. Alterum exemplum recentius, deque eius iustitia acerrime inter duos Germanos principes, Henricum Brunsuicensem & Philippum Hassum, quibus ex utraque parte alii accesserant, scriptis primum, deinde armis, disputatum est. Faustum Sleidanus lib. 12 de statu religionis & reipublicæ ad annos 1538 & 1539 hunc in modum narrat: Henricus Brunsuicensis, qui totus ad rumpendum oculum publicum spectabat, & in hoc incumbebat, ut belli fieret initium aduersus protestantes, quum literas accepisset ab archiepiscopo Moguntino, postridie natalis Christi paucis

cis ei responder, cætera scribæ committit, Stephano Fabro, quem ad ipsum mittebat cum mandatis. Accidit autem penultima die Decembris, non procul ab oppido Cassello, quum ad uenatum forte Lantgrauius iret, ut in hunc incideret, comitatum adolescenti Moguntino, qui literas pertulerat. Ibi Lantgrauius, pro more Germaniæ, rogat ab adolescenti, qui consulo prior occurrerat, ecquis esset? sum, inquit ille, Brandenburgici electoris famulus: ecquis alter? & ille quoque. Quum iam Stephanus appropinquaret, ex ipsomet rogat, qui sit? respondet ut ille: quonam tendat? Spiram: ecquid princeps ualeat? recte: postea rogatus, num haec ita bona fide confirmet? maxime, ait, itaque dimittitur. Paululum deinde progresso Lantgraui, quidam ex famulis renunciat, esse scribam Henrici Brunsuicensis, quod quum ab alio deinde, qui scire potuit, confirmaretur, Lantgrauius mittit, qui retrahant hominem, & Cassellum abducant, dum a uenatu redeat ipse. Stephanus interea, dum est in hypocausto, sacculum coriaceum e sinu deponit, & quasdam ex eo literas corripit, & foras ire properat: animaduertit hoc quispiam ex famulis domesticis, & curiæ praefectum, qui forte tum aderat, & in subiectam aream ex hypocausti fenestra despiciebat, submonet. Rogatus igitur ille de literis educit eas e sinu: praefectus ad se recipit & reuerso Lantgraui tradit. Errant autem binæ literæ, una ad Moguntinum, alteræ ad Matthiam Heldum scriptæ: iis erant adjunctæ tabulæ, seu commentarii, in quibus capita rerum perscripserat, de quibus habebat in mandatis. Quum ergo res per se uehementer esset suspecta, magis etiam haec augeretur suspicio propter ea, quæ in tabulis erant annotata, Lantgrauius utranque resignat epistolam. Eius, quæ fuit ad

Moguntinum, hæc erat sententia, sibi redditas ipsius esse literas: lætari vero plurimum, quod sui memoriam constantem retineat: se quidem ipsi totum esse deuinctum, & mittere Stephanum scribam, hominem fidem, ut ex eo rem omnem, & quid e Bauaria sit allatum, cognoscat: orare ut ei fidem habeat, postea sibi sociisque bene precatur, aduersarios autem satanae commendat. Eodem fere exemplo scripserat Heldo, mittere se denuo Stephanum cum mandatis, & orare, ut benevolè audiat, neque minus ei credit, quam si coram ipse loqueretur: quoad uixerit, partium se futurum esse Cæsaris, quounque tandem res euadat: neque dubitare, quin recte Cæsar omnia sit procuraturus. In tabulis ad Moguntinum hoc erat: Lantgrauium esse prorsus irrequietum, neque somnum capere, & sic addictum esse uenationibus, ut ad amentiam prope spectet: hoc magis opportune rem posse geri, & iam partem aliquam eius esse confestam. His rebus ita cognitis, quia maximum suberat periculum & belli quaerebatur ab illis occasio, Lantgrauius e uestigio dat literas ad sacerorum suum Georgium Saxonem, & explicata re tota, sic ut acta fuit, iniuriam sibi fieri, demonstrat. Deinde ad Ferdinandum regem eiusque sororem Mariam, Belgii præfectam, ad principes electores atque Bauaros, eodem modo, sicut ad sacerorum Georgium, scribit, seque purgat. Brunsuicensis, ubi rem esse patescantam, & de Lantgrauii scriptis cognovit, respondet, & capto scriba sibi factam esse dicit iniuriam. Per hanc igitur occasionem cceptum est agi scriptis aduersariis, quæ non multo post in omnium acerbissimas inuestigias desierunt, cuius quidem rei statum fuit initium a Brunsuicensi, qui, nouo quodam inter uiros principes exemplo, nullum praetermisit criminatio-

nationis aut contumeliae genus, ut libri typis excusi demonstrant. Scripta ipsa exhibet *Hortlederus von Ursachen des teutschen Krieges* lib. 4 cap. 2 sqq. in quibus Henricus violatum ius gentium in legato suo, quem tormentis ad secreta legationis suae patescienda adactum fuisse, non inuerisimile est, nec *Seckendorffius de Lutheranismo* lib. 3 sect. 18 §. 69 add. dissimular, per L. 8 §. 1 de Rerum divisione & L. ult. de Legationibus probare satagit, in primis uero apertas literas suas Landgrauio pro atrocissimo crimen imputat; ad quæ non minus grauiter Philippus &, qui Philippum tuerit, Io. Fridericus, Septemuir Saxo, respondent, atque ipsi quoque leges, & auctoritates, quas Henrico opponant, habent. Ego uero huic liti me non immisceo, nec eam ex iure publico decido, sed saltem sententiam duorum externorum scriptorum, qui in iuris gentium disciplina excellere creduntur, memorabo. Primus eorum *Grotius* est, qui de *Iure belli ac pacis* lib. 2 cap. 18 §. 5: Lex, ait, de ui legatis non inferenda, intelligenda est eum obligare, ad quem missa est legatio, atque ita demum si admisit, quasi scilicet ab eo tempore tacita pactio intercesserit. Caeterum denuntiari & potest, & solet, ne mittantur legati; alioqui pro hostibus fore: ut Aetolis a Romanis est denuntiatum, & olim a Romanis Veientibus edictum, ni facesserent urbe, daturos quod Lars Tolumnius dedit: & Romanis a Samnitibus, si quod adiissent in Samnio concilium, hand inuiolatosabituros. Non pertinet ergo haec lex ad eos, per quorum fines non accepta uenia transiunt legati, nam siquidem ad hostes eorum eunt, aut ab hostibus ueniunt, aut alioqui hostilia moliuntur, interfici etiam poterunt, quod Athenienses

fecerunt legatis inter Persas & Spartanos, Illyrii legatis
inter Eossios & Romanos: multoque magis uinciri, quod
constituit Xenophon in quosdam, Alexander in eos, qui
Thebis & Lacedæmone ad Darium missi erant, Romani
in legatos Philippi ad Hannibalem, & Latini in legatos
Volscorum. Tale si nihil sit, & male tractentur legati,
non illud ius gentium, de quo agimus, sed amicitia &
dignitas, aut eius qui misit, aut eius, ad quem eunt, uiolata
censebitur. Iustinus de Philippo posteriore Macedo-
num rege: *Legatum deinde ad Hannibalem iungen-
de societatis gratia cum epistolis mittit: qui compre-
hensus & ad Senatum (Romanum) perductus, incolu-
mis dimissus est, non in honorem regis, sed ne dubius
ad huc indubitatus hostis redderetur.* Alter Wicque-
fortius, qui in *Commentariis de l' Ambassadeur lib. 1
sect. 17*: *Il n'y a, inquit, que les Princes, à qui les
Ambassadeurs & les Ministres Publics sont envoyés,
qui soient obligés de les faire jouir de la Protection du
Droit des Gens.* Quousque hæc Germania nostræ
statui & iuri publico conueniant, alii uiderint. Nos
hic de iure Romano disputamus, cum quo Grotii &
Wicquefortii philosophia mirifice consentit. *Leges*
enim 8 §. 1 de *Rerum diuisione & ultima de Legationi-
bus*, ad quas Henricum Brunsuicensem prouocasse su-
pra diximus, de principe uel populo, ad quem legati
mittuntur, agunt, atque adeo Philippo Hasso obiici non
decebant. Verum mitto legatos, & in medium pro-
duco Candidatum nostrum, qui ipse uitam suam hunc in
modum descripsit:

Ego

Ego GEORGIVS FRIDERICVS KRAVS
in bac ipsa musarum sede die X. Martii c^olo 1^o CC
XVIII. natus sum. Patrem babui IOANNEM GO-
DOFREDVM KRAVSIVM, Digesti inforiciati et
noui Professorem Publicum Ordinarium, Curiae Prouincialis,
Facultatis Iuridicae et Scabinatus Vittembergensis, nec
non Curiae Prouincialis, quae Lubenae est, Assessorum, cuius
quidem praematurum obitum adbuc lugeo, nunquam autem
lugere satis potero. Matrem adbuc veneror CHRISTI-
ANAM ELISABETHAM, D. IOANNIS
PAVLLI SCHROETERI, olim potentissimo Polonia-
rum Regi et Electori Saxoniae in Summo Prouocationum
Senatu a consiliis, Facultatis Iuridicae Vittembergensis As-
sessoris, nec non Senatus huius urbis Syndici, filiam.
Quemadmodum autem ea semper parentibus meis cura fuit,
vt ab ineunte aetate cum in bonis litteris, tum maxime in
studio pietatis proficerem: ita quoque talium virorum in-
stitutioni me crediderunt, qui et litterarum cognitione, et
fide dexteritateque quam maxime commendabantur. Inter
quos in primis nominandi mibi sunt viri plurimum reueren-
di, M. HESSVS, Orphanotrophei, quod Dresdae est, con-
cionator, et M. GEVDTNERVS, Pastor Waldae, pro-
pe Grossen-Hayn sitae, nec non huius frater, vir consultif-
simus, D. GEVDTNERVS, qui in modo memorato op-
pido Grossen-Hayn summa cum dexteritate felicitateque
caussas orat; quorum in me erudiendo adhibitam indu-
strialia nulla unquam obliterabit oblinio. Nec etiam inde-
fessum Viri Summe Reuerendi M. IOANNIS AN-

DREAE BODENI, tum Scholae Vitembergensis Re-
ctoris, et Antiquitatum Professoris publici, nunc Praepositi
ac Superintendentis Schleibenensis meritisissimi, in me insi-
euendo laborem unquam me satis esse remuneraturum, in-
telligo. Seruabo tamen, quoad uiuam, istius beneficij me-
moriam. Fundamentis autem, quibus altiora studia su-
perstruenda sunt, ex voto iactis, beatus Pavens anno c 10
10 CC XXXV. me academicas quoque scholas frequen-
tare iubebat, atque, cum semper mibi genus aliquod studio-
rum, quod vellem, eligere liberum reliquisset, insigni affi-
ciebatur gaudio, postquam me occulto quodam stimulo ad
Themidis castra ferri videbat. Ne tamen illotis, quod
aiunt, manibus ad Iurisprudentiae studium accederem,
primo uitiae meae academicae anno Philosophiae operam dan-
dam existimauui. Hoc consilio Celeberr. M. BAVMEI-
STERI, tunc temporis Philosophici Ordinis in Acade-
mia nostra Adjuncti, nunc vero Lycei Görlicensis Rectoris,
Scholas Logicas, Metaphysicas, atque Morales frequenta-
uit. Postea Viros Excellentissimos WEIDLERVM,
ET BOSIVM, Matbesin atque Physicam explicantes,
summo cum fructu audiui. Themidis uero sacra mibi ape-
ruerunt Viri illustres atque magnifici, a LEYSER, BA-
STINELLERVS, CRELLIVS, RIVINV S, et,
qui iam inter coelites versantur, MENCCENIVS,
HOFFMANNVS, nec non ipse beatus Parens meus;
a quibus omnibus tanta sunt in me beneficia collata, ut il-
lis ne recensendis quidem, nedum referendis, unquam par-
futurus sim. Ab his Praeceptoribus, sanctissime colendis,

DREAE

B 3

iis

ius naturale, ciuile, publicum, canonicum, clientelare, bistro-
riam iuris, modum denique in tractandis litibus obseruan-
dum, edocitus sum, atque ad hos refero omnem, qualiscun-
que in me est, iuris scientiam. Absolutis, quorum causa in
academis versari solemus, studiis, aliquot studiosi iuuenes
priuata institutione mea vti coperunt. Ego interim anno
Christi c I^o I^o CC XLIII, die XXX Maii, sub praefidio
illustris a LEYSER, cui ob innumera, quibus me semper
ornauit, beneficia maximas debeo grates, de poena rapinae,
quae permutando fit in Saxonia, publice disputauit. Cum
vero apud me constituisse, publice quoque aliorum commo-
dis inservire: adii illustrem Iureconsultorum academie
nostrae ordinem, illumque, ut iura et priuilegia Doctoris
mibi tribueret, modeste vogauit. Annuit ille peritis meis,
atque studia mea in confuetis examinibus tentauit, tentata
probauit. Itaque in eo nunc sum, ut dissertationem quo-
que inaugurealem ex cathedra defendam. Ceterum diuino
numini, bonorum omnium fonte, pro immensis, quibus me,
dum vixi, clementissime cumulauit, bonis, gratias ago im-
mortales, illudque, ut etiam in posterum omnia, quae ago, ad
sui gloriam, patriae commoda, meamque salutem dirigat,
summa deuotione precor.

Hæc

Hæc ille. Nunc de meo addo: Vixit K R A V-
S I V S noster a pueritia ad hanc usque ætatem probe
ac innocenter, scholas nostras frequentauit adsidue,
profecit in iis egregie, disputauit saepe cum multa lau-
de, eos, qui se, uel sponte uel ex consilio meo, in disci-
plinam eius tradiderunt, instituit sancte & solide, deni-
que in colloquio, quod Ordo noster cum Candidatis
habere solet, ita stetit, ut nemo adhuc melius, pauci æ-
qualiter. Denique talis est, quem aliquando inter pu-
blicos huius academiae doctores cooptatum iri, & spero &
opto. Commendo itaque illum uobis, Rector magni-
fice, Patres conscripti, Hospites uenerandi, Clues
cultissimi, de meliore nota, ac peto obseruantissime, ut fu-
turo die XI Februarii publice, præsidente illustri ui-
ro, ANDREA FLORENTE RIVINO, Collega nostro
honoratissimo, & amico coniunctissimo, de Iure Faciei
in foro ciuili disputaturum benigne audiatis. Valete.

P. P. Vitebergæ d. VII Februar. anni
cœlo CC XXXV.






Wittenberg, Driss., 1744-45



3

KD 12



AVGVSTINVS A LEYSER
IN AVLA REGIA CONSILIARIVS
ET COLLEGIORVM
QVAE VITEBERGAE IVS DICVNT AC RESPONDENT
PRAESES ORDINARIVS

LECTORIBVS
SALVTEM

